

48  
21

DISPUTATIO  
*De*  
AYTOXEIPIA

QUAM  
D. O. M. F.

*Et*

PRÆSIDENTE

*Viro Præmodum Reverendo, Excellent.  
Clarissimo*

DN: JACOBO SCHALLERO  
SS. THEOL. DOCT. ET IN ARGENT.  
Athenæo Phil. Pract. Prof. Publ. Celeberrimo,  
Patroni & Fautoris nomine per petim colendo,  
deamando.

*In SOLENNI Congressu Eruditorum  
examine exponit*

PAULUS GREISSINGH von Gronstatt/  
TRANSYLV.

Ad Diem ~~25~~ Mens. ~~Januar~~ H L Q. S.

15.  Febru.

ARGENTORATI,

Typis EBERHARDI WELPERI.

Anno cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup>c. LVI.

1856



ΣΥΝΘΕΩ.

DISPUTATIO  
DE  
AYTOXEIPIA.



**C**ATONIS excessum quoties apud  
 Ethnicos lego, toties mirari animum su-  
 bit; quam multæ apud illos adhuc late-  
 ant Ethnicæ tenebræ face purioris & san-  
 ctioris Philosophiæ discutiendæ. Audax  
 effatum est *Vellei*. Catonem omnibus humanis vitiis im-  
 munem esse. Et *Seneca virtutum vivam imaginem*. & alibi. *Certius sapientis exemplar quam Herculem & Vlyssen*. Non  
 jam de Ebrietate illius aliquid dicam, quâ incensus jam  
 maturior totas noctes in mensa egit. Quia Cato hoc fece-  
 rat, Virtus est. *Narratur & prisca Catonis*  
*Sape mero caluisse virtus.*  
 Et *facilius efficiet quis hoc crimen honestum, quam turpem*  
*Catonem*. Non jam de uxore ipsius usuraria Hortensio  
 elocata, de quo factò *Tertullianus*. *O Sapiencia Attica,*  
*ô Romana gravitatis exemplum; Leno est Philosophus,* (sc.  
*Socrates) & Censor*. Censorem dicit *Tertullianus*, for-  
 san, ex festinatione. *Plutarchus* hoc de *Uticensi* non  
*Censorio* refert. Illud præcipue observatu dignum,  
 vix ullum ex Ethnicis scriptoribus inveniri, qui *Catonis*  
 Exitum non miris laudibus extollat. *Cicero* ita in ipsius  
 laudes assurgit. *Cateri quidem Pompejus, Lentulus tuus,*  
 A *Scipio,*

*l. 2. cap. 35.*

*l. 1. de tran-*

*quil. c. ult.*

*2. de Const.*

*sap. c. 2.*

*Plutarch.*

*in Caton.*

*Horat.*

*Senec. de*

*tranquill.*

*cap. ult.*

*Apolog. pag*

*878.*

*l. 9. Epist.*

*fam. 18.*

*l. 3, cap. 2.* Scipio, Afranius fœdè perierunt, At Cato præclare. Valer. Max. Tui quoque clarissimi excessus, Cato, Utica monumentum est, in qua ex fortissimis vulneribus tuis plus gloria quam sanguinis manavit. Siquidem constantissimè in gladium incumbendo magnum hominibus documentum dedisti: quam potior esse debeat probis dignitas sine vita, quam vita sine dignitate. *de Provid. cap. 2.* SENECAE liquet, cum magno spectasse gaudio Deos, cum jam ille vir, acerrimus vindex, alienæ salutis consulit, & instruit discedentium fugam: dum etiam studia nocte ultima tractat, dum gladium sacro pectore infigit, dum viscera spargit, & illam sanctissimam animam, indignam, quæ ferro contaminaretur, manu educit, &c.

Non fuit Diis immortalibus satis, spectare  
Catonem semel: retenta ac revocata virtus est, &c.

Quidni libenter spectarent alumnum suum tam claro ac memorabili exitu evadentem? Scilicet imaginatus sibi est Seneca, omnes Deos descendisse de cœlo ad Uticam spectaculi pulcherrimi causa, & quasi præsentia sua cohonestare voluisse furorem Stoici cujusdam, qui non poterat perferre dominationem Cæsaris, quia Pompei poterat.

Aliter longè de Catone Augustinus judicat. *lib. 1. de C. D. c. 23.* aliter etiam judicandum est ex Aristotelicis principiis, quod ut fiat, placuit rem in paucas theses divino aspirante Numine conjicere, & uberius *ΑΥΤΟΧΕΙΡΙΑ* explicare.

### Thef. I.

**A**υτοχειρία est timiditas, cum quis animo fractus sibi ipsi vel manus infert, vel inferendas curat.

### II.

Genus statuimus cum Aristotele *Timiditatem*, per quam intelligimus omne genus fracti animi, afflictiones, incommoda, injurias, dolores impatientius ferentis.

### III.

### III.

Illud etiam notandum censemus, ad *αυτοχειριαν* refertur non tantum, qui sibi manus inferunt, sed etiam, qui sibi manus inferri curant; Ut Nemo ferrum iugulo adegit, juvante Epaphrodito. & Fimbria Satelles Cinnæ Syllam imminentem & implacabilem metuens in templo Aesculapii sibi manum intulit. Sed cum id vulnus minus altè esset impressum, servum hortatus est, ut inceptum juvaret, Is herum primo, vox seipsum ferro transegit.

Sueton. Ner. c. 49.  
Plutarch. in Sylla.

### IV.

Causæ *ΑΥΤΟΧΕΙΡΙΑ* variæ occurrunt. Primaria est *METUS*, maximè metus infamiae, ob quam vitam abrumpunt, ne in hostium manus delapsi variis ludibriis afficiantur. Huc referimus Saulem. 1. Sam. 31. versic 4. qui ut illusionem & ignominiam Philistiorum evaderet, irruit super gladium. nec tamen evasit, nam mortuo cadaveri illuserunt, præciderunt caput spoliaverunt armis: & ea posuerunt in templo Astaroth, corpus vero ejus suspenderunt in muro Bethsan, imo caput præcisum in templo Dagon, quasi anathema suspenderunt. 1. Par. 10. v. 10. Pertinet huc RAZIAS, qui. 2. Machab. 14. v. 41. gladio se petiit. vers. 42. eligens nobiliter mori potius, quam subditus fieri peccatoribus, & contra natales suos injuriis agi. vers. 43. sed cum per festinationem non certo ictu plagam dedisset, & turbæ intra ostia irrumperent, recurrens audacter ad murum precipitavit semetipsum viriliter in turbas. vers. 44. quibus velociter locum dantibus, venit per mediam cervicem (græcè ventrem) vers. 45. & cum adhuc spiraret accensus animo surrexit: & cum sanguis ejus magno fluxu deflueret, & gravissimis vulneribus esset saucius, cursu turbam pertransiit. vers. 46. & stans supra quandam petram præruptam, & jam ex sanguis effectus, complexus intestina suarumque manibus projecit super turbas, invocans Dominatorem vitæ ac spiritus, ut hæc illi iterum redderet, atque ita vita defunctus est. Adjicimus Catonem, qui itidem rebus desperatis reliquis amicis ad fugam auxilio fuit, ipse vero nec fugere voluit, nec incolumitatem Cæsaris beneficio habere: sed perlecto Patonis libro de Animo, reliquis abire jussis, gladium sub pectore impressit, quia vero ictus fuit ex manus inflammatione levior, non subito exanimatus est: verum animam agens decidit cubili, ac strepitum edidit, dejecto abaculo quodam geometrico, qui juxta locatus erat. Quod sen-

rientes ministri sustulerunt clamorem filiusque & amici confestim ingressi sunt ad eum, qui conspicientes sanguine foedatum & intestina pleraque procidisse, spirantem tamen adhuc, & intuentem, omnes ingenti perfusi sunt dolore. Medicus accurrens intestina conabatur, quia manserant illaesa, reponere, & vulnus consuere. Ut igitur recreari Cato cepit, atque ad se redire, repulit medicum, interanea manibus laceravit, divulsoque expiravit vulnere. Non omittendus est OTHO Imperator, qui victus proclamavit, non amplius se in periculum tales tamque bene meritos conjecturum, &c. & circa lucem demum expergefactus uno se trajecit ictu infra lavam papillam: irrumpentibusque ad primum gemitum modo celans modo detegens plagam exanimatus est. Opinatur Suetonius Othonem magis pudore moriendi impetum cepisse, ne tanto rerum hominumque periculo dominationem sibi asserere perseveraret; quam desperatione ulla aut diffidentia copiarum, nec abludivit Oratio apud Tacitum H. II. 47. Viris adjungamus foeminam Cleopatram, qua sentiens se ad Triumphum & ludibrium asservari ab Augusto, Romamque ductum iri tabulas ad Caesarem exaravit, ut apud Antonium conderetur, deinde ejectis omnibus praeter duas foeminas obdidit fores. Caesar solutis tabulis, ut obsecrationes & questus legit precautis, intellexit illico, quid gestum esset: Ac primum institit illuc ipse accurrere, deinde spectatum prope remisit quid rei esset: verum momento transactum cum illa fuerat. Nam cursu illuc profecti, & stationem nil offendentes sensisse, reserata janua defunctam invenerunt, & in aureo jacentem lecto regio cultu exornatam. Ex mulieribus ejus Iras nomine ad pedes eius exspiraverat: Charmium jam lapsa abunda & capite gravata componebat diadema, quo redimitum erat caput eis. Ibi cum quidam fremens dixisset; Hactene pulchra, Charmium. Pulcherrima sane, inquit, decentiaque regum propaginem tam multorum. Perhibent aspidem inter ficos illatam foliisque fuisse intectam, &c. Alii inclusam hydria aspidem fuisse asservatam. Sed veritatem novit nemo: quando venenum quoque gestasse proditum est eam in novacula cava, eamque recondisse coma sua. Verum nec macula in corpore existit, neque aliud veneni vestigium. Neque vero bestia intus comparuit, &c. Nolumus plura adducere. Historiarum libri pleni sunt illorum exemplorum, qui acie fusi vitam abruperunt.

Sueton. cap.  
10.  
cap. II.

Plutarch.  
in Anton.

Altera causa est AMOR. In Historiis & Poëtis ubique occurrunt ejusmodi miserabiles personae, qui scilicet postquam prohibitis ardoribus ad Dominam vias effectarunt, deinde nil nisi abyssum languoris, laboris & desperationis reportarunt, & flammam amoris saepe non nisi in proprio extinxerunt sanguine: unus se suspendit ad limen: alter se praecipitavit: tertius in eremum abiit, maluitque leonum & scorpionum esse socius, quam sufferre amoris rabiem. alii aliter conati sunt levamen quaerere sinemq; imponere curis. Ita ille apud Theocritum ἀπὸν ζαδαί με ποιήσεις strangulari me facies: vel ut Eobanus vertit,

Sed facies, laqueo ut mea guttura frangam,

Didonis desperationem propter discessum deamati Aeneae describit Virgilius, & novissima verba.

Dulces exuvia, dum fata Deusque sinebant,  
Accipite hanc animam, meque his exsolvite curis.  
Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi:  
Et nunc magna mei sub terris ibit imago.  
Urbem praecalam statui: mea moenia vidi:  
Vltia virum, poenas inimico a fratre recepi.  
Felix, heu nimium felix, si littora tantum  
Nunquam Dardania tetigissent nostra carina.  
Dixit, & os impressa toro, moriemur inulta?  
Sed moriemur, ait, sic; sic juvat ire per umbras, &c.  
Dixerat: atque illam media inter talia ferro  
Collapsam aspiciunt comites, enseque cruore  
Spumantem.

Damon apud eundem questum suum ob Nisam alteri datam sic Ecclog. VIII claudit

Omnia vel medium fiant mare, vivite sylvae!  
Praceps aërii specula de montis in undas  
Deferar: extremum hoc munus morientis habeto.

Pleni sunt Poëtarum libri hisce furoribus, in quibus etiam aliquando Castus amor Conjugalis modum excessit. Tuos quoque

l. 4. c. 6. que castissimos ignes. Portia, inquit Valer. Max. M. Catonis filia, cuncta secula debita admiratione prosequuntur, quae cum apud Philippos victum & interentum virum tuum Brutum cognosceres, quia ferrum non dabatur, ardentem ore carbones haurire non dubitasti, muliebri spiritu virilem Patris exitum imitata. Sed nescio an hoc fortius, quod ille usitato tu novo mortis genere absunta es. Martialis de hac. l. 1. Epigr.

Conjugis audisset fatum quum Portia Bruti,  
Et subtracta sibi quaereret arma dolor.  
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari,  
Credideram satis hoc vos docuisse patrem.  
Dixit, & ardentem arido bibit ore favillas,  
I; nunc & ferrum turba molesta nega.

Eodem modo Arria Mater damnato Poeto marito, confodit corpus gladio, quem vulnere educens ipsi Poeto dedit. Id. Martialis. l. 1. Ep.

Casta suo gladium cum traderet Arria Poeto  
Quem de visceribus traxerat ipsa suis  
Si qua fides, vulnus quod feci, non dolet, inquit,  
Sed quod tu facies, hoc mihi Poete dolet.

l. 4. c. 6. Exemplum Plantis & Orestillae Vid. apud Val. Max. cuius iudicium non ex toto sanum quod subjungit. Sane ubi idem & maximus & honestissimus amor est, aliquando praestat morte jungi, quam vita distrahi.

## VI.

l. 24. c. 8. n. II. Tertia causa est doloris impatientia. Justinus de Brenno. Dux ipse Brennus, cum dolorem vulnere ferre non posset, pugione vitam finivit. De Attico Nepos. Postquam indies dolores accrescere, febrimque accessisse sensit, Agrippam generum ad se arcessi iussit, & cum eo L. Cornel. Balbum, Sextumque Peducaum, hos ut venisse vidit, in cubiculum nixus: Quantam curam diligentiamque, inquit, in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, cum vos testes habeam, nihil opus est pluribus verbis commemorare: quibus, quoniam, ut spero, satis feci, nihilque reliqui feci, quod ad sanandum me pertineret.

neret, reliquum est, ut egomet mihi consulam. Id vos ignorare nolui. Nam mihi stat alere morbum desinere, &c. Hac oratione habita tanta constantia vocis atque vultus, ut non ex vita, sed ex domo in domum videretur migrare. Posset huc referri Hercules Oetaeus, qui ob intensissimos dolores, quos ex veste venenata à Deianira transmissa conceperat, semetipsum rogo imposuit.

Eheu, clamat, quis intus scorpius, quis fervida  
Plaga reversus cancer infixus, meas  
Vrit medullas? sanguinis quondam capax  
Tumidi jecur pulmonis arentes fibras  
Distendit: ardet felle siccato jecur  
Totumque lentus sanguinem avexit amor  
Primam cutem consumpsit: hinc aditus nefas  
In membra fecit, abstulit costis jecur:  
Exedit artus penitus, & totas malum  
Hausit medullas, ossibus vacuis sedeo:  
Nec ossa durant ipsa, &c.

Sen. Herc.  
Oet. Act. 4.

His cruciatibus actus tandem clamat.

Nunc mors legatur clara, memoranda, incluta  
Me digna prorsus, nobilem hunc faciam diem.  
Cedatur omnis sylva, & Oetaum nemus  
Suscipiat ignis, Herculem accipiat rogas.

Act. 4. sc. 3.

## VII.

Metus 1. Paupertatis. ut Apicius Romanus pronus in omnem luxuriam, cum iniret secum rationem, quantos sumtus fecisset, & quantum restaret: cognovissetque sibi reliqua esse aureorum centena millia, hoc est 250. myriades drachmarum, timens, ne fame mori cogeretur, sibi ipsi manus intulit. 2. Verecundia. ut M. Aemilii Scauri filius, cum ideo, quod in saltu Tridentino hostium loco cesserat, in Patris conspectum venire non auderet, verecundiae ignominia pressus, mortem sibi conscivit. 3. Majorum cruciatuum, ut Oppia & Floronia Vestales stupri compertae, sibi mortem intulere, gravioris supplicii metu, ne vivae

Dio. in Tib.

Front. l. 4.

vivæ sub terra defoderentur. 4. *Metus stupri.* Hoc modo celebrantur in historia Ecclesiastica S. Apollonia, S. Pelagia, quæ se castitatis amore in aquam præcipitarunt. Possimus his subjungere pudorem ob pudicitiam amissam & violatam, ut in Lucretia, de qua ita Livius. Spurius Lucretius cum P. Valerio Volii filio, Collatinus cum L. Junio Bruto venit: cum quo forte Romam rediens, ab nuntio uxoris erat conventus. Lucretiam sedentem mœstam in cubiculo inveniunt, adventu suorum lactymæ abortæ, quærentique viro, Satine salva? Minime, inquit, quid enim salvi est mulieri amissa pudicitia? Vestigia viri alieni Collatine in lecto sunt tuo: ceterum corpus tantum est violatum, animus insons: mors testis erit, sed date dextras fidemque, haud impune adultero fore. Sextus est Tarquinius, qui hostis pro hospite, prioris nocte vi armatus, mihi sibi que si vos viri estis, pestiferum hinc abstulit gaudium. Dant ordine omnes fidem, consolantur ægram animi, avertendo noxam ab coacta in auctorem delicti, mentem peccare, non corpus: & unde consilium abfuerit, culpam abesse. Vos, inquit, videritis quid illi debeat: ego me etsi peccato absolvo, supplicio non libero, nec ulla deinde impudica Lucretiæ exemplo vivet. Cultrum, quem sub veste abditum habebat, eum in corde defigit: prolapsaque in vulnus moribunda cecidit.]

## VIII.

*Justin.* Tristitia. Imilco, cum navali terrestrique bello secunda prælia  
XIX. 2. 8. fecisset, multasque civitates cepisset, repente pestilentis sideris vi exercitum amisit. Reliquias domum deducens processit innops ènavi sua Imperator sordida servilique tunica discinctus: ad cujus conspectum plangentium agmina junguntur ipse quoque manus ad cælum tendens nunc sortem suam, nunc publicam fortunam deflet, &c. Tali vociferatione per urbem ingressus, & ad limina domus suæ veniit, prosecutam multitudinem veluti postremo alloquio dimisit: obseratisque foribus ac nemine ad se, ne filius quidem admissis mortem sibi conscivit.

## IX.

*Justin.* Desperatio. ut Sardana palus victus in Regiam se recipit, & extructa incensa que pyra & se & divitias suas in incendium mittit.  
Brutus

Brutus acie fusus in gladium strictum, quem capulo ambabus manibus direxit incumbens interemit se. Plura exempla horum hominum ubique apud Historicos occurrunt.

## X.

AMBITIO. Multi fuerunt, qui ambitiosa morte ut Tacitus loquitur, inclarescere voluerunt. Huc refero Philosophos quosdam, qui ex arrogantia aut jactationis causa manus sibi intulerunt, aut inedia se confecerunt. Memorabile est exemplum de Peregrino aut (quo nomine potissimum delectari visus est ipse nominando) Proteo, qui exitiosum sibi spectaculum subinde protrahens, noctem demum postremum tempus ei rei destinavit, quando se ipsum esset concrematurus. Sub noctem itaque mediam assumptus à quodam familiari, cum è strato surrexissem, concessi rectà in Arpinam, ubi pyra erat. Ad id loci viginti erant stadia ab Olympia per Hippodromum ad auroram euntibus. Quum primùm verò eò ventum est, offendimus pyram altè congestam, in profundum verò ad magni cubiti altitudinem egestam. Crebræ faces præsto erant, aridis insuper sarmentis & stipulis pyra erat intexta, ut quàm primùm igne suscepto in flammam erumperet. Postea verò quam Luna exorta est (oportebat enim & hanc hujus pulcherrimi facinoris spectatricem adesse) prodiit ille eo quo semper more solebat exornatus, ac cum illo reliqua Cynicorum multitudo. Hic generosus quisque ex Patribus facem in manu tenens, non segniter subministrabat: insuper ipse quoque Proteus face armatus incedebat. Mox aggressi alius aliunde admotis facibus maximum ignem succenderunt, nempe facibus & sarmentis copioso igni suppeditantibus. Ille autem (nunc verò fac maximè attento sis animo) depositis pera & pallio, ac baculo illo Herculeo, in extremè sordido adstitit amiculo. Deinde postulato thure, ut in ignem spargeret, quidam illi porrexit: quo in ignem coniecto, & versis ad meridiem oculis (etenim ipse quoque meridies ad hujus tragediæ partem attinebat) sic exorsus est: O materni atque paterni dæmones, suscipite me propitii. Quibus dictis actutum in ignem insiliit, nec amplius à quoquam visus est, sed à flammâ, quæ multa erat, circumfusus disparuit. Possimus etiam huc referre Zenonem, qui inediâ interiit, & Cleanthem Stoicos, de hoc Laertius

tius. Moritur hoc modo. *Tumuit illi ac putruit gingiva. Medicis autem intercedentibus biduum totum cibo abstinuit, atque in tantum convaluit, ut medici illi omnes consueta permetterent. Ea illum licentia minime usum fuisse, sed & contra sine cibo perstitisse, dicentem, iter jam sibi confectum esse, atque ita inedia consumptum exhalasse animam.*

## XI.

INDIGNATIO. ut Ajax cum de armis Achillis cum Ulyse decertaret, & sententiâ decidisset mortem sibi conscivit ex indignatione, quod sibi prolatus.

*Sophocl.  
Ajax. flagell.*

*Vivacitatis, exclamat, turpe desiderium est  
Homini, malis qui destinatur plurimis  
Nam quid diei adjecta delectabile  
Qua mortis horam prorogat, dies habet?  
Non assis equidem facere istiusmodi  
Quicumque frustra spe fovetur credula  
Sed aut honeste vivere aut mori decet  
Generosi hominem animi. hac mea est sententia.*

Et post.

*Postremum hodie & haud amplius, clarum ô jubar,  
Telluris ô patriæ sacrum Salamis solum:  
O Patrii lares, Athenæque inclytæ  
Cognata turbia: ô flumina atque limpidi  
Fontes, Phrygiaque prata vos nunc alloquor.  
Valete alumni. jam ultimos Ajax sonos  
Profatus, apud orcum reliqua cum umbris loquar.*

*Plutarch.  
in Nume.*

Huc referri posset *Martius*, ordine senatorio ornatus cum post obitum Numæ in regni disceptationem cum Hostilio venisset, repulsam passus vita se privavit.

## XII.

SVPERSTITIO, cum quis sese devovit pro exercitu, aut alias oraculo edoctus est, hac sola ratione Rempubl. salvam fore. De Decio Patre sic Livius hac trepidatione. Decius Col. M. Valerium magna voce inclamat: *Deorum, inquit, ope Valeri opus est.*

est, agetum pontifex publicus populi Romani præi verba, quibus me pro legionibus devoevam. Pontifex eum togam prætextam sumere iussit, & velato capite manu subter togam ad mentum exerta, super telum subiectum pedibus stantem sic dicere: *Iane Iupiter, Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, divi Novensiles, dii indigetes, divi quorum est potestas nostrorum, hostiumque, diique Manes, vos precor, venior, veniam peto feroque, uti populo Romano Quiritium vim victoriamque prosperetis: hostesque populi Romani Quiritium terrore, formidine, morteque afficiatis. Sicut verbis nuncupavi, ita pro Republica Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis populi Romani Quiritium, legiones auxiliaque hostium mecum diis Manibus Tellurique devoevo. Hæc ita precatus, lictores ire ad T. Manlium jubet: matureque collegæ se devotum pro exercitu nunciare. Ipse incinctus cinctu Gabino, armatus in equum insiluit, ac se in medios hostes immisit, & telis obrutus corruit. De Decio filio in pugna cum Gallis. Vociferari Decius, quo fugerent? quamve in fuga spem haberent? obistere cedentibus, ac revocare fusos. Dein inquit, familiare fatum datum hoc nostro generi est, ut luendis periculis publicis piacula simus, iam ego mecum legiones hostium mactandas Telluri ad Diis Manibus dabo. Hæc locutus, M. Livium Pontificem, quem descendens in aciem digredi vetuerat ab se, præire iussit verba, quibus se, legionesque hostium pro exercitu populi Rom. Quiritium devoveret. Devotus inde eadem precatione, eodemque habitu, quo Pater P. Decius ad Veserim bello Latino se iusserat devoveri: cum secundum solennes precationes adjecisset, præ se agere se se formidinem ac fugam, eademque ac cruorem: cœlestium, infernorumque iras: contacturum funebribus diris signa, tela, arma hostium, locumque eundem suæ pestis, & Gallorum ac Samnitium fore: hæc execratus in se, hostesque, quæ confertissimam cernebat Gallorum aciem, concitat æquum? inferensque se ipse, infestis telis interfectus est. De Codro Atheniensium Rege ultimo Justinus. Erant inter Athenienses & Dorienses simultatum veteres offensæ, quas vindicaturi bello Dorienses, de eventu prælii oracula consuluerunt. Responsum superiores fore, ni Regem Atheniensium occidissent. Cum ventum esset in bellum, militibus ante omnia, custodia Regis præcipitur. Atheniensibus eo tempore Rex Codrus erat; qui & responso Dei, & præceptis hostium cognitis, permu-*

*Decius se  
pro exercitu  
in Diis  
Manibus  
devoevet.*

*L. 10. c. 23.*

*l. 2. c. 6. §. 16.*

permutato Regis habitu, pannosus, sarmenta collo gerens, castra hostium ingrediur: ibi in turba obsistentium, à milite, quem falce astu convulneraverat, interficitur.

## XIII.

Dices. quo refers Achitophelis laqueum & Iuda? Resp. Achitophel. 2. Sam. 17. vers. 23. ex metu majoris supplicij se interemit, faucesque sibi constrinxit, quibus Regem suum prodiderat. Prævidebat enim Davidem bellicosum ex mora sibi data validas collecturum copias, & Absolonem debellaturum: se tantum ad majora supplicia vitam prorogare. Josephus rem exprimit. Convocatis omnibus domesticis exposuit eis, quæ Absoloni consuluerat, addens, quia non persuasisset, certo se brevi fore periturum. Davidem enim omnino superiorem hoc bello fore, & amissum regnum recepturum esse. Præstat igitur, inquit, magno animo, ut virum ingenuum decet, è vita exire, quam Davidi ob filio navatam contra se operam, excarnificandum se præbere. JUDÆ suspendium Matth. 27. v. 5. ad Desperationem pertinet, sed quæ ex altioribus, quam civilibus causis descendit. Procul dubio conscientia ex veterno securitatis excitata memoriæ ipsius suggererat omnia, quæ à Christo audierat quæque ab ipso facta conspexerat. Quare cum Christus resurrectionem suam aliquoties præ dixisset, cogitavit pessimè secum actum. Sine dubio etiam illa verba in memoriam redierunt. Matth. 26. vers. 24. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: Væ autem homini illi, per quem Filius hominis traditur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Quare cum perpetuam illam carnificinam, & tot conscientia flagella ulterius perferre non poterat, ut tristi desperataque vita eò citius liberaretur, laqueo sibi guttur fregit.

## XIV.

Ex hoc jam resultat fere ultima causa impulsiva, MALA CONSCIENTIA. Facinorum recordatione nunquam timore vacuus est animus hominum improborum. Mala conscientia etiam in solitudine auxilia & sollicita est. dum

Nocte dieque tuum gestas in pectore testem.

Sallustius de Catil. Animus impurus Diis hominibusque infestus, neque vigiliis, neque quietibus sedari potest. Ita conscientia mentem excitam vastat. Tacitus de Tiberio. Adeo facinora atque flagitia

l. 7. Antiq.  
cap. 9.

Tacit. A.  
XX. 36. 3.

Senec. Ep.  
43.

In Sen. Sat.  
13.

cap. 15.

A. VI. 6. 2.

gita sua, ipsi quoque in supplicium verterunt. Neque frustra præstantissimus sapientiæ firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & ictus; quando ut corpora verberibus, ita sævitia, libidine, malis consultis, animus dilaceratur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasque ipse pœnas fateretur. Elegantissime Seneca ejusmodi hominem scelerum conscientia agitarum & ultima meditantem depingit in Oedipo

Thebaid.  
Act. I.

si fida es comes:

Ensem parenti trade,  
Sed uterque flammam potius, & vastum aggerem  
Compone: in altos me ipse immittam rogos.  
Erectam, ad ignes funebrem ascendam struem,  
Pectusque solvam durum, & in cineres dabo  
Hoc quicquid in me vivit, ubi servum est Mare?  
Duc, ubi sit alius præruptum saxi jugum:  
Vbi torva rapidus ducat Ismenos vada:  
Duc, ubi fera sint, ubi fretum, ubi præceps locus.  
Si dux es, illuc ire morituro placet.

hoc animo sedet

Effundere hanc cum morte luctantem diu  
Animam, & tenebras petere: nam sceleri hac meo  
Parum alta nox est: Tartaro condi juvat  
Et si quid ultra tartarum est, tandem libet.  
Quod olim oportet: morte prohiberi haud queo.

Eadem occurrunt apud Euripidem. Philosophus noster, quando disputat. An & quomodo quis erga seipsum sit amicus? notabilem locum habet. Qui multa & atrocia facinora admiserunt, propter improbitatem vitam ederunt, ac fugiunt, sibi que manus afferunt. Plura ejusmodi adduci possent ex aliis scriptoribus. Videatur præ cæteris aureus iste libellus de Animi tranquillitate, quem Plutarchus scripsit.

Orest. fu-  
rios.  
l. 9. Eth. 4.

## XV.

Plures causas impulsivas coacervare nolumus: In Historiis

riis hinc inde occurrent, Sequitur *CAUSA INSTRUMENTALIS*,  
quæ varia.

## XVI.

Tacit. A.  
IV. 34.

*Fames.* Elegans Historia Cremutii Cordi, cujus scripta, cum novo ac tunc primum audito crimine postulabantur, abstinentia vitam finivit. Libros per Aediles cremandos censuere Patres: sed manserunt occultati & abdit. Quid Tacitus hac de re senserit, ibidem subjungit, sc. non posse extinguere sequentis ævi memoriam: punitis ingeniis gliscere auctoritatem atque gloriam.

## XVII.

L. 9. c. 12.

*Spiritus intra fauces reclusus:* Vel immediate, ut apud Valerium Maximum *Coma*. Is ad Rupiliam Consulem perductus, cum de viribus & conatibus fugitivorum interrogaretur, sumpto tempore ad se colligendum, caput operuit; innixusque genibus compresso spiritu, inter ipsas custodum manus, inque conspectu summi Imperii, exoptata securitate quievit. Torqueant se miseri, quibus extinguere, quam superesse utilius est, trepido & anxio consilio, quanam ratione vita exeant quærentes: Ferrum acuant, venena temperent, laqueos apprehendant, vastas altitudines circumspiciant, tanquam magno apparatu, aut exquisita molitione opus sit: ut corporis atque animi infirmo vinculo coherens societas dirimatur. Nihil horum *Coma*, sed intra pectus inclusa anima, finem sui reperit. Vel mediate, ut ille apud Senecam. Vilissimæ sortis homines ingenti impetu in tutum evaserint, cumque commodò mori non licuisset, nec ad arbitrium suum instrumenta mortis eligere: obvia quæque rapuerunt, & quæ naturâ non erant noxia, vi suâ tela fecerunt. Nuper in ludo bestiariorum, unus è Germanis, cum ad matutina spectacula pararetur, secessit ad exonerandum Corpus, nullum aliud illi dabatur, sine custode secretum, ibi lignum id, quod ad emundanda obscæna adhærente spongiâ positum est, totum in gulam fassit, & vi præclusis faucibus spiritum elisit. Hoc fuit Morti contumeliam facere, ita prorsus. Parùm mundè, & parùm decenter. *Quid est stultius, quam fastidiosè mori.* Et *Licinius Macer* apud Valerium Max. *Licinius Macer* vir prætorius Calui pater repetundarum reus, dum sententiæ diriberentur, in Mænianum conscendit: Siquidem cum M. Ciceronem, qui id iudicium cogebat, prætextam

Ep. 70.

L. 9. c. 12.

textam ponentem vidisset, misit ad eum qui diceret, se non damnatum, sed reum periisse: nec sua bona hastæ posse subjici. Ac protinus sudario, quod forte in manu habebat, ore & faucibus coarctatis, incluso spiritu pœnam morte præcurrit. Qua cognita re Cicero de eo nihil pronunciavit.

## XVIII.

*Laqueus*, ut Achitophel, Judas proditor. Ita Latini Regis conjunx Turnum in prælio peremptum putans.

*Se causam clamat, crimenque caputque malorum,  
Multaque per mœstum demens effata furorem  
Purpureos moritura manu discindit amictus  
Et nodum infamis lethi trabe nectit ab alta.*

Virgil. XII.  
Æneid.

## XIX.

*Gladius*, ut Cato aliique supra allegati; vel loco gladii *Pugio*, ut Otho *culter*, ut Lucretia. *lancea*, Seneca ita. *Secundo* *Navachia* spectaculo unus è barbaris lanceam, quam in adversarios acceperat, totam jugulo suo immerfit. *Quare*, inquit, nec omne tormentum, omne ludibrium jam dudum effugio? quam ego mortem armatus aspecto? *Novacula*. Sic obiit Tigellinus. Populo hunc poscente ad supplicium misit in eum Otho ad villam ipsius. Illic agebat paratis ibi navibus, quibus longius profugeret. Eum qui missus fuit ad ipsum, magna vi auri molitus est, ut se missum faceret, inducere. Postquam id frustra fuit, aquæ dedit ei munera. Oravit autem, ut sustineret, dum barbam rasisset: acceptoque cultro tonsorio fauces sibi ipse præscidit.

Ep. 70.

Plutarch.  
in Othone.

## XX.

*Venarum abscissio*. Usitatissimum tempore primorum Imperatorum vel supplicium vel supplicii remedium. Seneca. *Quæ de ira c. 15.* *ris, quod sit ad libertatem iter? qualibet in corpore tuo VENA.* Ita Caligula exquirens per se pretia, & usque eò extendens, ut quidam immenso coacti quædam emere, ac bonis exuti venas sibi inciderent. Apud Tacitum plura exempla occurrunt, ut Pomponii Labeonis, qui per abruptas venas sanguinem effudit: æmulataque est conjunx Paxea. Sic Mella, quæ tunc promptissima mortis via, exsolvit venas. Torquatas, cum damnatio instaret, brachiorum

de ira c. 15.

Sueton. Cal.  
lig. c. 38.

A. VI. 29. 1.

A. XVI. 17. 5.

A. XV. 35. 3.

rum

*rum venas intersecidit. Facta aliquando hac venarum apertio per ser-  
vos aut Medicos. Cornelius Merula flamen Dialis ingresso ur-  
bem Mario venis succissis necando mortis contumeliosæ dam-  
nationem effugit, sacerdotisque sui sanguine foci vetustissimi  
maduere. Imo Iovis ipsius oculos venarum cruore resperfit secundum  
Florum.*

## XXI.

*Venenum, ut Cleopatra. Eodem modo summus ille militiae  
Dux Hannibal, cum omnes exitus occupatos sensisset, non sibi  
diutius vitam esse retinendam putavit. Quam ne alieno arbitrio  
dimitteret, memor pristinarum virtutum, venenum quod semper secum  
habere consueverat, sumsit. Ita apud Tacitum Budicea vitam ve-  
neno finivit.*

## XXII.

*Ignis. ut Sardanapalus, Peregrinus, supra citati. Numan-  
tini tandem omnibus rebus desperatis Duces suos, seque patriamque  
ferro & veneno, subjectoque undique igne peremerunt. Non multum  
recedit Catuli mors, recenti calce illito, multoque igne per calefacto  
cubiculo se inclusum peremit. Cujus tam dira necessitas maximus Ma-  
riana gloria rubor extitit. At hoc mortis genus uti extraordina-  
rium est: ita & Porciae carbones. In hunc ordinem hodierno  
seculo veniunt illi, qui bello navali victi navem pulvere tormen-  
tatio displodunt. Omissem fere Empedoclem, qui se in arden-  
tis Aetnae specum intempesta nocte dejecit, ut cum repente non  
apparuisset, abiisse ad Deos crederetur.*

*Horat. in  
Art. Poet.*

*Deus immortalis haberi  
Dum cupit Empedocles, ardentem fervidus Aetnam  
Insiluit*

## XXIII.

*Aqua. Anna Didonis soror Carthaginem ab Jarba oc-  
cupatam relinquens, mare ingressa, & ad Laurentum delata, in  
odium Laviniae venit, cujus insidias ut declinaret, se in Numy-  
cum fluvium praecipitavit. Ovid.*

*4. Fastor.*

*Corniger hanc tumidis rapuisse Numycius undis  
Creditor, & stagnis oculuisse suis.  
Ita & Terentius Afer amissis in mari. 108. fabulis, quas è Graecis  
Lati.*

Latinas fecerat, & converterat. ex Menandro, se submersisse di-  
citur.

## XXIV.

*Præcipitatio. Ita Sappho puella ex Lesbo Iusula è Leucade  
Epiri promontorio se præcipitavit, quod à Phaone mutuo non  
redamaretur, ita Clemonis filius ex ædium culmine. Plura apud  
Historicos occurrunt exempla, qui se è specula, turribus, scopu-  
lis mœnibus præcipitarunt. Nolumus plura mortis genera coa-  
cervare, infiniti sunt hominum exitus.*

*Plutarchi  
in Cleome-  
ne.*

## XXV.

Tendimus jam ad principalem controversiam. AN TALIS AUTOXET-  
GIA SIT LICITA? Plura hic oriuntur sententiarum divortia vel in  
Ecclesia, vel extra illam.

## XXVI.

In ECCLESIA quidam parum consideratè scripserunt, ut  
1. Tertullianus, qui cum Didonis mentionem facit, parum à lau-  
dante abest; an ex inconsulta admiratione castitatis, an vero ex  
gratitudine erga conditricem Patriæ incertum. Erunt nobis; in-  
quit, in testimonium fœmina quaedam seculares ob univiratus obstina-  
tionem famam consecuta, ut Dido: quæ profuga in alieno solo, ubi nu-  
ptias Regis ultrò optasse debuerat: ne tamen secundas experiretur,  
maluit à contrario, uri quam nubere.

*Exhort. ad  
castitatem  
cap. ult.*

2. Glossa ordinaria. Dicunt Hebraei & aliqui etiam Christiani,  
quod interficere seipsum intuitu divini honoris, ne vituperium, exer-  
ceatur in proprio corpore redundans in Dei vituperium, sicut timebat  
Saul, non esse illicitum. Videtur Glossa hæc quidem proferre ex  
aliorum sententia: interim tamen concedit, fuisse tales quos-  
dam Christianos in hac opinione.

*in 1. Sam.  
cap. ult.*

3. Lyra celebris nec in scripturis explicandis inutilis au-  
tor, hic tamen delirare videtur. Raziæ mentionem faciens. Scri-  
ptura, ait, libri hujus, quæ receptatione ab Ecclesia ad legendum pro-  
informatione morum, non videtur hic Raziæ arguere, sed magis com-  
mendare de sui ipsius interfectione.

*in 2. Macc.  
c. 14.*

4. Nicolaus Caussin Jesuita aliàs non indoctus credit les  
anciens interpretes, l'on ne peut pas conclure la damnation de Saul  
par une demonstration infallible pour s'estre frappé lui, mesme; veu,  
que selon leur opinion il n'estoit pas suffisamment eclaire par les lu-  
mieres de l'ancienne loy, que ce fust un peché mortel d'avancer sa  
mort

*tom. 4. la  
Cour.  
saint.  
tract. 8.  
sect. 2.*

mort pour sauver l'honneur de sa Religion & se delivrer de l'opprobre des mecheans, &c. Mair à present nous sommes dans un grand jour, que les Conciles & la Theologie Scholastique nous ont communie & nous scayons, que cela n'est nullement loisible, &c. Quasi vero veteres non potuissent infallibiliter concludere, mortale esse peccatum αυτοχειριαν, & hoc demum ex magno illo Scholasticæ Theologiæ lumine nobis communicaretur. In reliquis illorum sententiæ accedit, qui statuunt in periculo incendii licitum esse se precipitare: aut ignem mittere in pulverem tormentarium, si navis à Turcis capta est.

5. Glossa Juris Canonici 23. q. 5. c. Tu dixisti. Cum pœnitentia, inquit, sit vindicta puniens in se, quod se commississe dolet ut infra de pœnit. dist. 3. c. pœnitentia. Unde licitum est cuilibet pro peccatis suis se occidere. Quamvis vero Glossator videatur tantum explicare sententiam & opinionem Petilianæ, contra quem scripsit Augustinus: attamen argumentum ipsum ex dist. 3. de pœnitentia. Satis est invalidum: aut si putat Glossator firmiter concludere, in consortium erroris delabitur.

6. Veteres quidem Heretici, ut Cajani apud Irenæum statuentes Cainum, Judamque fuisse salvatos. Donatista, contra quos disputat Augustinus. Deinde vellem mihi diceres, Confessores illi vestri quando seipsum præcipitant, cui dicant martyrium, utrum Christo qui talia suggerentem Diabolum repulit, an potius ipsi Diabolo, qui talia Christo facienda suggestit. Duæ sunt maximè viles atque usitatæ mortes eorum qui seipsum interierunt, laqueus & præcipitium. Tu verè dixisti in primis partibus hujus Epistolæ. Laqueo traditor perit, laqueum talibus dereliquit: hoc ad nos omnino non pertinet. Neque enim veneramur nomine Martyrum eos, qui sibi collum ligaverunt. Quanto autem nos probabilius in vos dicimus, magister traditoris Diaboli præcipitium Christo suadere voluit, & repulsus est. Quid ergo dicendi sunt quibus hoc suavit & auditus est. Quid enim, nisi inimici Christi, amici autem Diaboli, discipuli seductoris, condiscipuli traditoris? Spontaneas enim mortes ab uno magistro utrique didicerunt: ille laqueum, isti præcipitium. Circumcelliones apud Augustinum, qui semetipsos interficiendo ad Martyrii gloriam aspirarunt, genus hominum agreste & famosissimæ

l. 1. c. 35.

l. 2. contra  
tit. Petri.  
tom. 7. p. 18.

tom. 6. p. 13.  
d. 1. de Ha-  
resib. har.  
69.

mosissimæ audaciæ non solum in alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi eadem insana feritate parcendo. Nam per mortes varias maximè præcipitiorum & aquarum & ignium seipsum necare consueverunt: & in istum furorem alios, quos potuerint, sexus utriusque seducere, aliquando ut occidantur ab aliis, mortem nisi fecerint comminantes. Sic. Vide, ne filio subrepat, ut te ipsum velis interimere, sic intelligendo, quod debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni atque perversi & in seipsum crudeliores & sceleratiorum homicidæ: flammis se donant, aquis præfocant præcipitio collidunt & percutunt. Hoc Christus non docuit: imo etiam Diabolo præcipitium suggerenti respondit. Redi retro Satanas, scriptum est. Non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit significans, qui morte glorificaturus erat Deum, Cum esses junior, &c. Ubi satis expressit, non à seipso sed ab alio debere occidi, qui sequitur vestigia Christi.

7. Franc. Victoria, qui in relect. de Homicidio apud Corn. à Lap. in 2. Maccab. c. 14. factum Raziæ ex Sp. S. instinctu profuxisse putat. At Sp. S. non solet inspirare, ut quis seipsum occidat ad vitandam ludibrii infamiam. Fallitur ibidem Jesuita Cornel. à Lap. qui Thomam in consortium hujus sententiæ trahit. Nam Thomas. 2. 2. q. 63. Raziæ exemplum non probat. Itaque aut non inspexit locum, aut alienis oculis credidit.

8. Cornel. à Lapide. qui in allegato loco. 2. Maccab. c. p. 135. col. 2. 14. Raziæ excusat propter ignorantiam inculpata. At non est ignorantia inculpata: sed ignorantia juris, crassa, vincibilis, quæ non excusat. Malumus E. cum Augustino Ep. 61. & 2. contr. Gaudentium c. 23. reprehendere quam laudare: Addit ibid. Cornel. à Lap. Supposita hac Raziæ ignorantia heroicus fuit hic ejus actus fortitudinis, quo se pro honore Patriæ & arcta religione conservanda occidit. Falsum, nam omnis Heroicus actus ex proæreli & destinato consilio fieri debet. Ubi ignorantia, non est actus virtutis multò minus virtutis Heroicæ. Malumus nos ferinum dicere quam heroicum.

9. Idem Cornel. à Lap. 1. Maccab. c. 2. vers. 37. ait. Sic Carthusiani ex voto abstinent carnibus, ut malint mori quam vesci carnibus, etiam ubi Medicus judicat eas necessarias ad sanitatem & vitam

tom. 9. p. 153  
tract. 51. in  
Iob.

*viseret, ira & metu, dum integer, dum intentatus, honestum finem voluisse. Partim lege. l. 6. §. 7. ff. de injust. rupt. apl. & irrit. fact. testament. à pœnis eorum, qui sibi manus inferunt, excipiuntur Philosophi & alii, qui tadio vita aut jactationis ergo manus sibi inferunt. At meo judicio furor hic Philosophorum plus puniendus fuisset, quam aliorum hominum stupor vel ignorantia. Refert Dio apud Cœlium, Imper. Adrianum veniam impartitum fuisse, Euphrati Philosopho ut citra ignominiam & infamiam quam alias leges illis inurunt, è vita exire possit annis fessus & morbis divexatus. At nec talis licentia concedenda.*

Finem facimus opinionum. Alios Philosophos qui adhibita distinctione voluntariam concessere mortem. Vid. apud Cic. l. 2. Tulc. qq. & Cic. l. ff. aliosque.

## XXVIII.

Tempus jam est, ut ad argumenta deveniamus, quibus hanc opinionem improbemus. Primum autem ducimus à *Dei Mandato*. **NON OCCIDES.** I. Non dicit Deus. Non occides Proximum, sicut in aliis præceptis. Non dices falsum testimonium contra proximum, non concupisces, quæ sunt proximi; sed absolute. **NON OCCIDES**, sc. *neque proximum neque te ipsum.* Lactantius fortiter adversus Philosophos disputat. *Multi ex his, inquit, qui æternas esse animas suspicabantur: tanquam in cœlum migraturi essent, sibi ipsis manus intulerunt: ut Cleanthes & Chrysippus: ut Zeno & Empedocles, qui se in ardentis Ætnæ specum intempesta nocte dejecit, ut cum repente non apparuisset abiisse ad Deos crederetur. Et ex Romanis Cato, qui fuit in omni sua vita Socratica vanitatis admirator. Nam Democritus in alia fuit persuasione: sed tamen sponte sua leto caput obvius obtulit ipse, quo nihil sceleratius fieri potest. Nam si homicida nefarius est quia hominis extinctor est; eidem sceleri obstrictus est. QVI SE NECAT, quia hominem necat. Imo vero majus esse id facinus existimandum est, cujus ultio Deo soli subjacet.*

Augustinus accuratè hoc argumentum urget. Nam utique si non licet privata potestate alicui hominem occidere vel nocentem, cujus occidendi licentiam lex nulla concedit, profecto etiam qui seipsum occidit, homicida est. Et tantò fit nocentior cum se occiderit, quantò innocentior in ea causa fuit, qua se occidendum putavit. Nam si Judæ factum meritò detestamur,

cum-

cumque veritas judicat, cum se laqueo suspendit, sceleratæ illius traditionis auxilium potius, quam expiisse commissum, quoniam Dei misericordiam desperando exitiabiliter pœnitens, nullum sibi salubris pœnitentiæ locum reliquit: quantò magis à sua nece sibi abstinere debet, qui tali supplicio, quid in se puniat non habet? Judas enim cum se occidit, sceleratum hominem occidit: & tamen non solum Christi, verum etiam suæ mortis reus finivit hanc vitam, quia licet propter suum scelus, alio suo scelere occisus est. Et. Neque enim frustra in sanctis canonicis libris nusquam nobis divinitus præceptum permissumve reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, ut illius cavendive mali causa, nobismetipsis necem inferemus. Nam & prohibitos nos esse intelligendum est, ubi lex ait: Non occides: præsertim quia non addidit, proximum tuum: sicut falsum testimonium cum vetaret: Falsum, inquit, testimonium non dices adversus proximum tuum. Nec ideo tamen si adversus seipsum quisquam falsum testimonium dixerit, ab hoc crimine se putaverit alienum: quoniam regulam diligendi proximum à semetipso dilector accepit: quandoquidem scriptum est: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Porro si falsi testimonii non minus reus est, qui de seipso falsum fatetur, quam si adversus proximum hoc faceret: cum in eo præcepto, quo falsum testimonium prohibetur, adversus proximum prohibeatur, possitque non rectè intelligentibus videri non esse prohibitum, ut adversus seipsum quisquam falsus testis assistat: quantò magis intelligendum est, non licere homini seipsum occidere, cum in eo quidem scriptum est: Non occides: nihilo deinde addito, nullus, nec ipse utique cui præcipitur, intelligitur exceptus. Explicamus argumentum hoc ulterius ex ratione Gen. 9. vers. 6. allata: *qui effuderit sanguinem hominis, per hominem sanguis illius effundetur, quia Deus hominem ad imaginem suam fecit. Qui E. se occidit, imaginem Dei violat. Josephus egregiè disserit. Idcirco & qui nobis adimendum id putant, hostes ducimus, & quos nostros insidiatores putamus, pœna persequimur, Deum verò indignè ferre non arbitramur cum donum ejus homo despiciat, ab illo enim accepimus, ut essemus, rursusque ut esse desinamus, illi reddendum est. Corpora quidem cum eis mortalia sunt.*

sunt ex caduca materia fabricata, Anima semper immortalis est, Deique particula in corporibus collocata. Si quis ergo depositum hominis surripuerit, aut malè tractaverit, pessimus statim ac perfidiosus habetur, si Dei depositum ex proprio corpore quis ejecerit, cum se latuisse, quem læserit, existimabit. Et servo quidem fugientes ulcisci justum creditur, quamvis nequam Dominos fugerint; ipsi verò fugientes Deum, & optimum Deum impiè facere non videbimur.

## XXIX.

2. Pagnat contra auctoritatem Dei, quia Deus est Dominus vitæ. Pulchrè Pythagoras apud Ciceronem, vetat *injussu Imperatoris Dei, de presidio & statione vita discedere*. Platoniorum etiam Communis assertio, *Pius omnibus retinendum esse animum in custodia Corporis, nec injussu ejus, à quo ille est datus ex hominum vita migrandum esse: ne munus humanum, assignatum à Deo, defugisse videamur*. Apuleius quoque inter illius dogmata, *Sapiens corpus non relinquet invito Deo. Nam etsi in ipsius manu est mortis facultas & quamvis sciat, se terrenis relictis consecuturum esse meliora, nisi perpetiendum istud lex divina decreverit, accersere tamen eum mortem non debere*. Lactantius idem argumentum tractat. *Sicut in hanc vitam non nostra sponte venimus: ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est: ejusdem jussu nobis recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu inhabitaturos; donec iubeat emitti: & si vis aliqua inferatur, æqua mente patiendum est, cum extincta patientis anima inulta esse non possit, habeamusque judicem magnum, cui sola vindicta integra semper est.*

## XXX.

3. Pagnat contra amorem sui. Esse aliquem Heantophilian prolixè probet Aristoteles, l. 9. Eth. c. 4. ubi disputat officia veræ amicitiae petenda esse ex *φιλαυτία*. Quoniam enim amicus est alter idem, ideo eum quoque sicut nos ipsos amare debemus. Deinde pluribus exponit, quomodo Vir bonus erga seipsum sit amicus. Hic enim cum ipso sentit, eademque non una aliqua animi parte, sed toto animo, totoque pectore expetit: vultque ea sibi evenire, quæ & vere bona sunt, & talia videntur: ea denique ipsa agit. Viri enim boni est in eo, quod verè, omni contentione elaborare, idque sua ipsa causa: nimirum ejus animi partis

partis gratia, in quæ cogitandi vis inest, quæ unusquisque nostrum videtur esse. Vult præterea sese vivere, & salvum esse, maximèque hanc partem, qua sapit, & prudenter sentit. Viro bono enim bonum est esse. Sibi autem quisque bene vult evenire. Sed nullus est, qui si alius, quam qui prius erat, effectus sit, optet, id, in quod commutatus sit, bonis omnibus abundare. Obtinet enim nunc quoque Deus verum bonum, ita tamen ut sit id, quod est, quidquid tandem sit. Non immeritò autem id, quod in nobis intelligit, unusquisque nostrum esse videatur, aut maximè. Tum verò is, qui talis est, secum habitare, secumque vult vivere, id enim libenter facit. Nam & rerum actarum memoria ei est jucunda: & spes futurarum bona, talis autem est & jucunda. Præterea rerum plurimarum perceptione & cognitione mens ejus abundat: doletque & lætatur unà secum maximè, Nam omni ex parte idem ei molestum est, idemque jucundum, neque aliàs aliud: cùm penè dicam, nihil agat, cujus eum pœnitere possit. Quoniam igitur hæc singula in viro bono insunt erga seipsum, estque sic animatus in amicum, ut in seipsum (amicus enim alter ipse) efficitur ex his, ut amicitia quoque aliquid horum esse, iique, in quibus hæc insunt, amici esse videantur. Illustrari hæc *Heantrophilia* potest ex Sacra Philosophia. Levit. 19. versic. 18. Matth. 22. versic. 39. Luc. 10. versic. 28. *ut proximum diligamus, sicut nos ipsos*. Normam & regulam, ad quam proximi dilectio dirigenda sit, nobis his proponit nostrum ipsorum dilectionem, innuitque amorem sui longe intensiorem esse debere. Duo enim hæc verba dicunt. 1. Diligas te ipsum. 2. & ad hanc tui dilectionem proximi amorem confirmes. Concludimus ergo ex hoc cum Augustino in verbis proximè citatis. Diligere debemus proximum. Ergo non debemus occidere. Diligere debemus nosmetipsos: Ergo non nosmetipsos occidere. Docet hunc affectum ipsa natura, ad quam respiciens S. Paulus Eph. 5. vers. 29. *neminem unquam suam carnem odio habuisse*. Si autem nemo unquam suam carnem odio habet. Ergo etiam non occidit, sed ipsam potius enutrit & fovet. Salomon Prov. 24. versic. 8. ait, *qui machinatur malum facere sibi ipsi, homo nequissimus vocabitur*. Atque hinc etiam Deus non superfluè inculcat hominibus *φιλαντία*, cum jam cordis tabulæ

*l. 1. de Doct. Christ. c. 23* eam inscriptam tradiderit. Augustin. Cum quatuor sint diligenda: Vnum quod supra nos est, Deus: Alterum, quod nos sumus: tertium, quod juxta nos est i. e. proximus: Quartum, quod infra nos est, i. e. corpus. De secundo & tertio nulla precepta danda erant. Quantum libet enim homo excidat à veritate, manet illa dilectio sui & dilectio corporis sui. Præter locum Aristotelis supra citatum, subjungimus elegantem illam disputationem, quam habet lib. 9. Eth. cap. 8. ubi prolixè hanc quæstionem. *Vtrum seipsum maxime amare oporteat, an alium quenquam?* tractat & affirmat. Occurrit autem dubitatio; Solent enim vulgò abjurgari, qui sui sunt amantissimi, & quasi ea res cum turpitudine ac dedecore conjuncta sit, φίλαυτοι, id est, sui amantes appellantur. Videturque homo improbus omnia sua causa agere, eoque magis, quo sit vitiosior. Itaque eum criminantur, & accusant, quod nihil agat à suis rationibus & commodis alienum. Vir bonus autem omnia propter honestum agit: & quo sit melior, eo magis propter honestum, & amici causa: suum commodum autem negligit, ac prætermittit. Verum ab hac oratione facta discrepant, neque immeritò. Ajunt enim maxime eum amare oportere, qui maxime sit amicus. At is maxime amicus est, qui quem vult bonis ornatum esse, eum vult illius ipsius causa ornatum esse, etiam si nemo sciturus sit. Hæc autem insunt in unoquoque erga seipsum maxime, & cætera etiam omnia, quibus amicus definitur. Suprà enim diximus, omnia quæ amicitia propria sunt, à nobis ipsis profecta, etiam ad alios promanare, ac pervenire: atque omnia proverbialia consentiunt, quale illud est; Unus Animus, & Amicorum omnia communia, & Æqualitas amicitia, & Genu crure propius. Hæc enim omnia in unoquoque erga seipsum insunt maxime, sibi enim quisque maxime amicus est. Quo fit ut sibi sit quisque maxime diligendus. Consentit Cicero: *Omne animal seipsum diligere dubitationem non habet. Est enim infixum in ipsa natura, comprehenditur suis cujusque sensibus: sic ut contra si quis dicere velit, non audiatur.* Ex his omnibus mala est communis illa regula. *Charitas ordinata incipit à seipsa.* Quibus omnibus ostenditur, hominem sibi manus inferentem omnem naturam, etiam quæ Animalibus data est, evertere.

XXXI.

XXXI.

Pugnat contra bonitatem Dei, cujus tantum beneficium contemnit. Est vita & longævitas beneficium Dei. Ephes. 6. vers. 2. *ut sis longævus.* Hinc etiam deprecatur David, ne in medio ætatis cursu abripiatur. Psal. 102. versic. 25. Quamvis enim aliquando etiam vita nostra variis ærumnis obsita sit: tamen bonum quid manet. Nihil enim est in hoc mundo ab omni parte beatum. Quod si nihil bonum, nisi ab omni malo defecatum, etiam conjugium tollendum esset.

XXXII.

Pugnat contra justitiam. Neminem in propria causa debere esse judicem, manifesti juris est. At talis in propria causa sumit judicium se occidendo.

XXXIII.

Pugnat contra civitatem, quam cive spoliat. Aristoteles *l. 5. Eth. c. 11* cum disputat. *An quis seipsum injuria afficere possit?* format objectionem. *Atque, inquit, ira impulsus sibi ipsi mortem consciscit, hoc sponte facit contra rectam legem, quod lex non permittit. Injuriam igitur facit. Sed cui? Nonne Civitati, non sibi? Sponte enim hunc casum subit ac perfert; at sponte sua nemo injuria afficitur. Itaque & multat eum civitas & ignominia afficit, qui se ipse exanimavit, ut qui civitatem injuria afficiat.* Explicari hoc posset ex *l. liber homo ff. ad l. Aquiliam.* ubi dicitur, *neminem esse Dominum suorum membrorum, quia Riepubl. omnes sumus.* Wesenbecius ita. *Dat autem lex hanc actionem domino, qui solus ex verbis legis directam habet: utilem verò ex interpretatione aliis quoque præstari, cœptum est. Quoties enim deficit actio ex verbis legis directa, toties ex benigna interpretatione utilis à prætore datur. e. g. Liber homo dominus membrorum suorum non videtur, si igitur illi sit nocitum, directam actionem non habet, quia non est Dominus rei læsæ: sed tantum ex sententiæ legis utilem. Quamobrem si occidatur, heredes ejus aut legatarii agere utiliter poterunt, cædis nomine, perinde atque defunctus ob vulnus agere potuisset. Atque hic etiam non tantum leges Civiles ejusmodi hominem puniant. *l. si quis §. 1. de injust. rupt. l. in fraudem ff. de jure fisci, &c.* sed & Gentiles quoque in inferno hos homines puniri fingunt. Virgil.*

D 2

Proxi-

6. AEneid.

*Pròxima deinde tenent mæsti loca, qui filio lethum  
Infontes peperere manu, lucemque perosi.*

*Nunc & pauperiem & duros perferre labores.*

*Fata obstant, tristisque palus inamabilis unda*

*Alligat, & novies Styx interfusa coercet.* In sacro codice Apoc. 21. vers. 8. Homicidis quoque infernus paratus est.

## XXXIV.

Pugnat contra naturalem inclinationem. *Sui cuique amor est, & conservandi se permanendique insita voluntas atque aspernatio dissolutionis.* Sen. Ep. 82. Omnis enim creatura appetit conservationem sui. Hinc generandi facultas creaturis indita, ut, si se non potest conservare in individuo, se saltem conservet in specie. At homo ad æternitatem creatus quam maximè interitum sui horret, quia omnis rerum bene gerendarum occasio ipsi adempta est. Mors terribilium terribilissimum. Qui ergo sibi manus inferunt, contra omnem agunt inclinationem naturalem. Sicut etiam Sanctissimi viri, ut Hiskias. Esa. c. 38. mortem deprecati sunt.

## XXXV.

Pugnat contra naturam fortitudinis. Nam viri fortis & constantis est, res adversas animo patienti & constanti patienter ferre.

Martialis.

*Rebus in adversis facile est, contemnere mortem,*

*Fortiter ille facit, qui miser esse potest.*

3. Est. 7.

Et eleganter noster Philosophus. *Mori ob inopiam aut amorem aut aliud molestum, non est fortis viri sed timidi. Mollities enim fugere difficilia & aspera: neque mortem ut bonum sustinet, sed malum fugiens.* apud Curtium pulchrè. *Fortium virorum est, magis mortem contemnere quam odisse vitam. Sæpe radio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignavi: at virtus nihil in expertum omittit. Itaque ultimum omnium mors est, ad quam non pigre ire satum est.* Confer de hac re discursum Augustini.

l. 1. de C. D. cap. 22.

## XXXVI.

Patratur hoc scelus impetu & furore magis, quam consilio

Non

Non fiunt ista, nisi subito: nec quisquam ( præsertim nulla gravi præcedente causa ) spiritum ratione deposuit. Nihil autem recti continet illud, quod ratione destitutum est.

Declam. Quintil. 344.

## XXXVII.

Plotinus Platonicus Philosophus quasdam habet rationes, *Ennead. I.* sed Platonizantes: quas uti non in totum probamus, ita non in totum repudiare voluimus. Nemo extrudat per vim è corpore animam, ne forte exeat in locum similem migratura: alioquin, exibat corporei non nihil deferens, quo per similia emigrabit. Emigrare enim est à loco in locum alium pertransire. Sed expectare debet quoad corpus totum ab anima ipsa deficiat: quando transmigrationem non indiget anima sed extra est omnino. Quo igitur pacto corpus ab anima deficit? quando videlicet nulla vis animæ amplius in ipso ligatur. Quippe cum corpus jam ipsam ligare non possit, perdita videlicet harmonia, quam olim habens habebat & Animam. Quid ergo, si quis det operam ut corpus dissolvatur ab anima? Verum sic vim inferret: neque corpus tunc dimitteret, sed ipsum anima destitueret. Accedit ad hoc, quod quando quis dissolvit corpus, non est à passione liber: sed vel angustia, vel dolore, vel ira compellitur. Nihil verò ejusmodi est agendum. At si insaniam quis persenserit imminentem, quidnam agat? Forte verò id probo non accidet. Quod si acciderit, reponendum erit in eorum genere, quæ necessaria nuncupantur: atque ob ea quæ circumstant, non autem simpliciter eligenda. Etenim venenorum excogitatio ad exitum animæ compellentium, fortè non expedit animæ. Atqui & si fatale tempus unicuique datum est, ante ipsum haud feliciter id fiet, nisi ( ut diximus ) id tanquam necessarium habeatur. Si denique qualis quisque exit, talem ibi quoque retinet ordinem, non est è corpore animus extrahendus, cum adhuc proficiendi esse possit accessus. Adde Marsilii Ficini commentaria ibid. p. 49.

## XXXVIII.

At rectius forsan facturi sumus, si audiamus aliquem ex Ecclesia. Acutè Augustinus. Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporale ne incidat in perpetuas. Neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso inci-

l. 1. de C. D. cap. 26.

D 3

piat

piat habere gravissimum proprium, quod non polluebat alienum: neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis hac vita opus est, ut possint pœnitendo sanari. Neminem velut desiderio vitæ melioris, quæ post mortem speratur: quia reos suæ mortis, melior post mortem vita non suscipit. Deinde in cap. 24. prolixè tractat illam de constantia Reguli & probat in ea virtute, qua Regulus excellebat, Christianos eminere. *Nolunt autem isti contra quos agimus, ut sanctum virum Iob, qui tam horrenda mala in sua carne perpeti maluit, quam illata sibi morte omnibus carere cruciatibus: vel alios sanctos ex nostris literis summa auctoritate celsissimis, fideque dignissimis, qui captivitatem dominationemque hostium ferre; quam sibi necem inferre maluerunt, Catoni præferamus: sed ex literis eorum, eidem illi M. Catoni M. Regulum præferamus. Cato enim nunquam Cæsarem vicerat, cui victus dedignatus est subjici, & ne subjiceretur, à seipso elegit occidi: Regulus autem Pœnos jam vicerat, Imperioque Romano Rom. Imperator non ex civibus dolendam, sed ex hostibus laudandam victoriam reportaverat: ab eis tamen postea victus, maluit eos ferre serviendo, quam eis se auferre moriendo. Proinde servavit & sub Chartaginiensium dominatione patientiam, & in Romanorum dilectione constantiam: nec victum auferent corpus ab hostibus, nec invictum animum à civibus. Nec quod se occidere noluit, vita hujus amore fecit.* Adde cap. 23. ubi etiam Catonis factum examinat. De cujus facto quid potissimum dicam, nisi quod amici ejus etiam docti quidam viri, qui hoc fieri prudentius dissuadebant, imbecillioris quàm fortioris animi facinus esse censuerunt, quo demonstraretur non honestas turpia præcavens, sed infirmitas adversa non sustinens. Hoc & ipse Cato in suo charissimo filio indicavit. Nam si turpè erat sub victoria Cæsaris vivere, cur autor hujus turpitudinis pater filio fuit, quam de Cæsaris benignitate omnia sperare præcepit, cur non & illum secum coëgit ad mortem. cap. 19. Lucretiæ factum examinat & tandem concludit. Non hoc fœminæ Christianæ fecerunt, quæ passæ similia vivunt. Tamen nec in se ultæ sunt crimen alienum, ne aliorum sceleribus adderent sua: si quoniam hostes in eis concupiscendo stupra commiserant, illæ in seipsis homicidia erubescenda commiterent. Habent quippe intus gloriam castitatis, testimonium conscientie, habent autem coram oculis

oculis Dei sui, nec requirunt amplius, ubi quid rectè faciant, non amplius habent, ne deviant ab auctoritate legis divinæ, cum malè devitant offensionem suspicionis humanæ.

## XXXIX.

Superfunt adhuc quædam solvendæ Objectiones. 1. de SIMSONE, qui videtur seipsum occidisse. Resp. Augustinus. *Nec Simson aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quia spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat.* Addimus nos fuisse mortem bellicam & actum veræ fortitudinis. Epistola ad Hebræos c. 11. v. 32. fide factum pronunciat. Brentius eleganti discursu & piis meditationibus aliter hoc factum Simsonis probat. 2. de ELEAZARÆ. 1. Machab. *Comment. in Iud. c. 16* 6. versic. 43. fuit periculum incertum, quia Elephas alio modo cadere potuerat. Ideoque fuit mors incerta. Ambrosius de hoc. *L. 1. off. c. 40* Quanta igitur virtus, *inquit*, animi, primò ut mortem non timeret: deindè ut circumfusus legionibus inimicorum, in confertos raperetur hostes, medium penetraret agmen, & contempta morte ferocior, abjecto clypeo, utraque manu vulneratæ molem bestię subiret, ac sustineret; post infra ipsam succederet, quo pleniori feriret ictu. Cujus ruina inclusus magis, quàm oppressus, suo est sepultus triumpho. Nec sefellit opinio virum, quamvis regius sefellerit habitus. Tantò enim virtutis spectaculo defixi hostes inermem occupatum incurfare non ausi post casum ruentis bestię, sic trepidaverunt, ut in pares se omnes unus virtuti arbitrarentur. 3. de iis, qui in periculo Incendii se precipitant. Resp. Itidem est mens incerta: neque intentio adest sese interficiendi, sed potius à morte & interitu sese salvandi. 4. Furiosi etiam se aliquando interficiunt. Resp. Furiosi non habent proæresin, & comparantur dormientibus. Ut ergo Eutychi dormienti lapsus nil nocuit; ita nec furiosis mors. 5. Virgines, quæ pudicitie conservandæ gratiã se precipitarunt. Resp. ex Augustino, c. 26. Loc. sup. cit. 6. Illi, qui navim pulveris tormentario displosere, ne in hostium veniant potestatem, ut Amestus in locis supra allegatis. Resp. Servitus non est deterior morte. Semper sperari libertas potest. Ergo duobus malis minus est eligendum. Referrunt huc illa belli strategemata, quando in prælio navali scapham pyrio pulvere repletam expen-

expansis velis hostium navibus admovent & incendant. Quod si naviculam annexam habent, in quam se repente recipiant, propter mortem incertam concedi posse putamus. At si mors certa est, dubitamus.

## XL.

Tandem quoque pergimus ad DIVISIONEM. *ΑΥΤΟΧΕΡΙΑ* est vel *sine mortis periculo*; vel *cum mortis periculo*: Hæc rursus vel *Physica* vel *Moralis*. De *Physica* hactenus actum.

## XLI.

MORALIS *ΑΥΤΟΧΕΡΙΑ* est: 1. cum quis *sine necessitate contra præcepta superiorum se in mortis periculum conjicit*. Ut cum quis contra præceptum parentum imprudenter se natando exercet, 2. per *suspensionem fugæ*. Ut cum miles ex acie fugere detrectat, cum jam rebus omnibus desperatis honestè fugere poterat. Ut Paulus Æmilius apud Livium. l. 22. ubi historia satis prolixè tractata est. 3. per intermissionem Medicinæ, cum quis spiritus medicamentis valetudinem negligit, medicos contemnit, sanitatem Empiricis, Vetulis, Judæis, Carnifici, &c. committit. Intemperantia, in *Vino*, in *Venere*, in affectibus ut *tristitia*. 4. *Cooperando* ad mortem. Ut si Magistratus mortem imperet. Si quis pareret, manebant *testamenta, justa funeris, pretium festinandi*.

Tac. A. VI.  
29. 2.

## XLII.

l. 3. *Manud  
ad Phil.  
Stoic. dis-  
sert. 23-*

Disputat Lipsius. Legem & Magistratum posse jubere damnatum, ut se occidat, vel venarum abscissione vel cicutæ potu. Resp. Tutius est ab aliis expectare mortem, ut Jonas potuisset seipsum præcipitare, noluit, sed ab aliis præcipitari voluit. Hic non ibid. *Non est nostri mortem appetere; sed illatam ab aliis libenter accipere*.

Ion. 1. & 12.

## XLIII.

Tandem *ΑΥΤΟΧΕΡΙΑ* est vel *totalis* vel *partialis*. Hæc consistit in mutilatione membrorum. Ut si quis cum Origene se eunuchizet, corpus affligat flagellationibus, jejuniis & pœnitentiis Papisticis, &c.

## XLIV.

Nemini licitum esse sese mutilare patet & ex eo, quia homo non est dominus suorum membrorum, sed custos: nec permissum

missum est ipsi, ut contra naturam corpus, quod Deus membris integrum fecit, imperfectum reddat.

## XLV.

Quod si tamen membrum est putridum, tunc licitum est abscindere, quia tunc *ἰσχυρῶς* tantum est membrum 2. de anima c. 1. t. 9. & l. 1. de gener. animal. c. 19. præcipuè si Medicus suadeat, ne forsan gangræna aliudve malum hominem perimat.

## COROLLARIA.

Ulpianum Stoam sequi circa voluntariam mortem patet quoque præter ea, quæ supra adduximus ex l. sed si. 9. §. si ipsis. ff. de Pecul. Si ipse servus se vulneravit, non debet hoc damnum deducere, non magis quam si se occiderit vel præcipitaverit: licet enim servus naturaliter in corpus suum sævire. Cur non debet Dominus deducere? quia servus jure suo utitur se occidendo, ideoque Domino damnum non infert, quod de peculio deduci potest. Ex hoc concludit aliquis ex Jctis Jen. Jure Naturali tam servis quàm liberis hominibus sese occidere, & in corpus suum sævire permissum esse. Nos autem ei adversamur.

Q. An Abraham parricidiū commisisset, si filium suum secundum mandatum Divinum interemisset? Resp. Dist.

Quodnam è tribus his dilemmatis cornibus amplectendum? aut moriendum fame est, aut res aliena auferenda, aut depascenda membra & tentandum propricidium. Stoici suadent *αυτοχειριαν*, Scholastici rei alienæ ablationem; Nos autem potius fame aliquem vitam finire statuimus, quam rem alienam auferre.

An Hæretici qui pro nomine Christi mortem subeunt dicendi sint Martyres. Neg.

Qui membris suis stuporem inducunt, ne vel vulnerentur, vel doleant. Item. qui quibusvis leviculis de causis in monomachias ruunt, nullo modo dicendi sunt fortes.

E

Nobiliss.

*Nobiliss. & Pereximio Dn. Respondenti Convictoria  
meo perdilecto.*

**N**ON laus sed scelus est; momenta abrumpere vitæ,  
Et sese illicita perdere cæde necis,  
Hac abiisse ira fas est, quam Tute tueris  
GREISSINGI, hanc laudo, vela secunda precans,  
*gratulabundus scrib.*

Johannes Schmidt, Theol. Doct.  
Prof. Ordin. Conventus Eccles. Præses.

**R**egulus atque Cato diverso funere mortem  
Is patiendo subit, se iste necando subit.  
*est Augustino, quo nil divinius unquam  
Post homines natos terra Libyssa dedit,  
Regulus est potior. Sancti vestigia Parris  
Si sequeris, GREISSING: hoc Duce tutus eris.*

*honoris causa apposuit.*

*Præses.*

*Gloria s' acquista per travagliarsi in opere  
Virtuose.*

**S**o trifft man den Zweck / wohin die Tugend zielt:  
So thut ein Edler Muhe / der Zunder bey sich fühlet /  
Er schwinget sich vom Volck / das an der Erden kriecht /  
Das alle Tugend haßt / vnd kluge Sinnen flücht /  
Und tracht nach Lob und Ruhm / wie wir jekund dergleichen  
An dir / Mein Werther! sehn / du giebst deß Fleißes Zeichen:  
Nun öffentlich ans Liecht / und bringest klärllich bey /  
Wie / der sich selbst umbbringt / ein großer Sünder sey:  
Nun wol / fahr löblich fort: Man muß Tag / Gründlich streben:  
Nach Tugendhafftem thun: Durch faul vnd müßig / leben:

*Erlange*

*Erlangt man wenig Ruhm. Wer hier erst tapffer kriegt /  
Kriegt einen Lorbeer. Krank so Grab und Todt besiegt.*

*Seinem vielwerthen Freund und Tischgenossen  
glückwünschend aufgesetzt von*

*Hans Wilhelm Reußel /  
Nobil. Hafs.*

*Honori Generosi ac Nobilissimi Dn. à GREISSING, Amici  
fraterni, ita sincerè se faventem exhibet.*

**D**irus, immanis, truculentus, atrox,  
Quisquis insontis cupidus cruoris,  
Gaudet illatâ super efferatus

*Cæde tyrannus,*

Dirior multo, truculentiorque,  
Quisquis oblitus sacra jura legis,  
Ipse vitalem sibi virulentus

*Invidet auram.*

Tu vetas bellè, fugis, execraris,  
Hujus infandi sceleris Patronos,  
Arguet tales Rhadamantus olim

*Arbiter Orci.*

Te trahet fervor studii virentis  
Impiger, neces Patriæ salutem,  
Ceu luem vita Dionæa, Phœbi

*Dulcis Alumne.*

Te novus GREISSING HONOR hinc sequetur,  
Anteacti dulce lucrum laboris,  
Meta votorum, volucrisque vitæ

*Optima Mercês.*

Tolle nunc gressus velut ex Chimæra  
Marcidos, mentemque, tuam catervis  
Dede virtutum, Jove sis probante

*Musica Proles.*

*Simon Job: Rihelius, Transylv. S. L. S.*

**F I N I S.**

conservandam. Nam religio & observantia regularis potior est sanitate & vita. At non est tamen *αυτοχρησία* physica & directa, sed etiam *Moralis*, cum quis conservandæ vitæ materiam subtrahit.

l. 3. de Virg.

10. Ambrosius, qui miris elogiis celebrat S. Pelagiam virginem annorum 15. quæ se cum matre & sororibus in flumen injecit, merfitque, ne violaretur. *Consertis manibus, tanquam choros ducerent, in medium progrediuntur alveum, ubi unda torrentior, ubi profundum abruptius illic vestigia dirigentes. Nulla pedem retulit, nulla suspendit incessum, nulla tentavit, ubi gressum figeret: anxiam cum terra occurreret, offensæ vado, late profundo. Videres piam matrem stringentem nodo manus, gaudere de pignore, timere de casu, ne sibi filias vel fluctus auferret. Has tibi, inquit, hostias, Christe, immolo, præsules virginitatis, Duces castitatis, comites passionis.*

In Vita  
Sanct. d. 9.  
febr.

Pontificii, qui Apolloniam inter Sanctas colunt, Zacharias Lipelloo. Apolloniam comprehendunt, maxillisque ejus crudeliter diverberatis, omnes dentes illi excutiunt, atque rogo in subutiis extracto, minantur, nisi verba, blasphemiam una cum ipsis palam eloqueretur, se eam vivam crematuros. Illa paululum intra semetipsam deliberans, repente se de manibus impiorum: proripuit, & in ignem, quem paraverant, majori Sancti Spiritus flamma intus accensa, sponte profilivit: ita ut perterrentur, etiam ipsi crudelitatis autores, quod promptior esset inventa ad mortem scæmna, quam persecutor ad pœnam.

in c. 1. Iona:

Hieronymus & cum illo *Jus Canonicum* c. non est. 23. q. 5. In persecutionibus non licet propria perire manu, absque eo ubi castitas periclitatur.

l. 51. de con-  
sciens, c. 31.

AMESIUS licitum putat pulvere tormentario accendere navem, qua feruntur, ne perveniat in hostis possessionem. Tempus non patitur plures colligere opiniones.

### XXVII.

Extra Ecclesiam vexillum ducit STOA, cujus placitum est sapientem aliquando mortem sumere posse, decere, debere. Sententias ex Epicteto, Laërtio, Seneca, aliisque collegit operose Lipsius. Laërtius in Zenone triplicem dat casum: pro Patria & amicis: in animi & corporis dolore. Sic & in Paupertate. Senec. *Necessaria deerunt, primum deesse non poterunt, quia natura minimum petit. Sed si necessitates ultimæ inciderint, ex siliet è vita, & molestus.*

l. 3. manud.  
ad Phil.  
Stoic.  
dissert. 22.  
Ep. 17.

stus sibi esse desinet. Epictet. *Cum hodie repleti fueritis, sedetis plorantes & solliciti, quid cras comesturi sitis: Mancipium! si habueris habebis: si non habueris, abibis. Aperta est janua. Ut & in Morbo, quamvis cum temperamento. Morbum mortem non fugiam, duntaxat sanabilem, nec officientem animo; non afferam mihi manus propter dolorem, sic mori vinci est. Hunc tamen si sciero perpetuo mihi patiendum: exhibo, non propter ipsum, sed quia impedimento mihi futurus est ad omne, propter quod vivitur. Imbecillis & ignavus est, qui propter dolorem moritur, stultus, qui doloris causa vivit. inquit Seneca. Cum Stoa faciunt Cynici, ut tunica tantum distantes Diogenes olim asperè ad Spensippum morbidum & in gestatorio sibi obvium: cum iste prior dixisset. Salve Diogenes: tu vero, inquit, non salve, qui talis cum sis, vivere sustines.*

l. dissert.  
cap. IX.

Ep. 58.

Laert. in  
Spensipp.

EPICURUS, cujus hæc gnome apud Senecam. *Malum est in necessitate vivere, sed in necessitate vivere, necessitas nulla est.* De quo placito Epicuræo apud Clarissimum Virum, Petrum Gassendum, qui orbi erudito Epicurum restituit, aliquid hætenus reperire non licuit.

Ep. XII.

PLATO, qui in Phædone eleganter contra *Αυτοχρησίαν* disputat. Libro tamen 9. de Ll. restringit hanc sententiam ad *damnationem publicam* qualis in Socrate & Seneca: ad graves casus, ut *Paupertatem & ignominiam*, Verba sic se habent. *Quod si autem quis maxime propinquum & familiarem interfecerit: se ipsum. Hunc talem damnamus & probris afficimus quæ sequuntur: si tamen fecerit, neque Civitatis decreto jussus: neque intolerabili aliquo, & inevitabili fortuna casu adductus, neque ignominia pauperis & non sustentanda vitæ adductus. Exemplo etiam potest Spensippus mærore compulsus, qui, cum jam senio confectus esset, mortem sibi sponte conscivit.*

Laert. in  
Spensipp.

JURECONSULTI aliqui partim facti, ut Coccejus Nerva. Tacit. ita. *Haud multo post Coccejus Nerva continuus Principis, omnis divini humanique juris sciens, integro statu, corpore illaeso, moriendi consilium cepit. Quod ut Tiberio cognitum: adfiedere, causas requirere, addere preces, fateri postremo grave conscientia, grave fama sua, si proximus amicorum nullis moriendi rationibus vitam fugeret. Aversatus sermonem Nerva, abstinentiam cibi conjunxit. Ferebant gnari cogitationum ejus, quanto propius mala Reipub.*

A. VI. 26. 1.